



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi  
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot  
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

**Bona, Giovanni**

**Antverpiae, 1677**

Cap. XVII. Vitam Christi esse fontem omnium bonorum: Quomodò ex eâ pii  
affectus eliciantur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10805**

## DECAS X,

1. Pater immensa majestatis, principium absque principio, qui à nullo procedis, gaudeo quod intrà te ipsum Verbum tuum aeternum concipias, Filiumque generes adeo tibi similem, ut sit unum & idem tecum.

2. Pater ecclësis, à quo omnis Paternitas in celo, & in terra nominatur, obsecro te per Filium tuum Unigenitum, in quo tantoper delectaris, ut multos alios gigas filios per gratiam adoptionis, ut Paternitas tua ubique dilatetur, & resplendeat.

3. Pater ingenite, innascibilis, improductibilis, fons Deitatis, ac totius entitatis origo, sanctifica me in veritate, ut qui à te processi, in te perpetuo maneam, nec unquam mens mea à te avertatur.

4. Fili Dei Unigenite, qui aeternā generatione à Patre procedis, ipsi coequalis, & consubstantialis, fac me pro modulo meo hujus similitudinis & aequalitatis aliquā ex parte partipiem.

5. Fili Dei, Deus de Deo, lumen de lumine, sapientia increata, candor lucis aeternæ, fac me filium lucis in hac vita, ut in aeternā lumine gloria illustratus, videam te gloriosum & benedictum in secula.

6. Splendor paterna glorie, & figura substantiae ejus, qui summè dilectus à Patre, ipsumque Patrem summè diligens, simul cum ipso unicā spiratione producis Spiritum Sanctum: emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ut splendoribus tuis illustratus cognoscam te, & diligam, sicut tu diligis Patrem, & eum perfectè cognoscis.

7. Sancte Spiritus, consolator dulcissime, donum Altissimi, & unicō Electorum, da mihi teipsum donum infinitum, ut & ego spiritus sim sicut es tu, omnis terrenæ contagionis expers; & sanctus sicut tu, currens inoffenso pede viam mandatorum tuorum.

8. Spiritus Patris, à quo accipis divinitatem, & omnipotentiam: Spiritus Filii, à quo accipis ejusdem sapientiam: Spiritus utriusque, à quibus accipis infinitum amorem, quo te mutuo amat; illabere menti meæ, & fac concordiam in affectibus meis, ut conjungar tibi in uno spiritu, & totus convertar in spiritum amoris.

9. Sanctissime Spiritus, & amor suavissime,

charitas essentialis, & totius charitatis principium, bonitas aeterna, à qua omnia bona in nos descendunt; inflamma voluntatem meam ferventissimo tui amore, & adstringe me tibi, ac Patri, & Filio; ut nec intellectu, nec affectu à vobis divellar.

10. Sancta & adoranda Trinitas, Deus meus, & omne bonum meum, da teipsum mihi, & suffici mihi. Quid enim ei sufficit, cui tu non suffici?

## CAPUT XVII.

*Vitam Christi esse Fontem omnium bonorum.*

*Quomodo ex ea pī affectus eliciantur.*

Prolixi voluminis opus foret bona omnia commemorare, quae ex vita Christi velut ex fonte uberrimo, & nunquam deficiente scaturiunt, & perenniter fluunt. Ipse enim Salvator noster factus est nobis à Deo sapientia, justitia, redemptio, & sanctificatio. In ipso habemus divitias salutis, thesaurum meritorum, cumulum perfectionis. Sicut Sol asperū suo latificat, influit, illuminat, nec unquam cessat operari: ita verus Sol animalium Iesus Christus iugi influxu infundit in nos, & imprimit mores suos, virtutes suas, suam Divinitatem. Vita ejus consideratio erigit in adversis, in prosperis reprimit, tollit peccata, conciliat gratiam, excitat ad amorem, juvat incipientes, dirigit proficientes, edocet perfectos. Quemadmodum unguentarii semper olent id quod attractant; sic Christianus, qui assidue cum Christo versatur, ejus redolet patientiam, charitatem, humilitatem, ceteraque virtutes, quas vita sua studioso sensim instillat idem Dominus virtutum, cuius doctrina seminarium justitiae, vita speculum prudentiae, & temperantiae, mors exemplum est fortitudinis. Sed quia non sufficit Christi vitam meditari, nisi etiam ex ea pī, & devoti affectus eliciantur; hujus praxim in hoc capitulo breviter indicabo, ut auctorem fidei recipientes, eundem salutis nostræ atque perfectionis consummatorem habeamus.

## DECAS I.

1. Domine Iesu Christe, concede mihi misericordia peccatori vitam & mores tuos præ oculis mentis semper habere, & pro viribus imitari.

V. a. O.

2. O charitas infinita, o admiranda dignatio tua, Domine, ut seruum redimeres, Filium tradidisti.

3. Vidisti, suavissime Iesu, afflictionem populi tui, & grave onus filiorum Adam, & tactus stimulis charitatis intrinsecus cogitasti super nos cogitationes pacis, & redemptionis. Nam tibi advenit plenitudo temporis, visitasti nos oriens ex alto.

4. Deus immensae majestatis, quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Laudent te Angeli tuoi tantum amorem, quo nos miseros prosequeris.

5. Salve dies tot ætibus optata, quæ Deus pro nobis factus est homo. Salve Gabriel Archangele tanti gaudii annunciator. Salve Virgo gloriofa, in cuius castissimo utero carnem assumpit Deus.

6. O quam potens es Amor, qui ad tam infima abjecis Deum! O quam divino dilectionis est amor meus!

7. Princeps supreme, qui de Cœlo in terram pro mea salute descendisti, tanto mihi charior es, quanto pro me factus es vilior.

8. Verbum incarnatum plenum gratiæ & veritatis, eadem gratiæ imple animam meam, ut tibi placeat.

9. Verbum divinum, partem aliquam largire mihi lucis, & gratiarum, quas tribuisti assumptione humanitati. Deprime cor meum humilitate usque ad infimum locum: erige gratitudine & amore ad altissimum gradum.

10. Christe Salvator, qui adhuc clausus maternisvisceribus ad Præcursum sanctificandum properasti; da mihi peccatorum veniam, & spiritualiæ in tuo obsequio lætitiam.

### DECAS II.

1. **I**esu amabilissime, qui pro me nasci in sororiente stabulo voluisti, illumina mentem meam, & voluntatem, quo tuam Nativitatem contemplari valeam, & eluentes in ea virtutes imitari.

2. Cur non ardet cor meum tenerimo tui amore, Infans formosissime, qui salutem meam in ipso tui ortu operari cœpisti?

3. Utinam Nativitatì tue præsens fuisse dignusque habitus, qui te amplecterer, & mea tibi obsequia deferrem? Accepta, Domine, hanc voluntatem, & præstat, ut quidquid possum, quicquid sum, tuo semper famulatu impendam.

4. O inaudita amoris prodigia! Dilecti mei cubile stabulum est; desponsationis meæ thalamus præfepe, lectus sponsi mei fœnum, pullus stramen, aula vialis spelunca.

5. O sanctam Filii Dei paupertatem, omnibus mundi divitiis pretiosiorem! hanc mihi commendabilem tuo exemplo reddidisti, bone Iesu, natus in stabulo, pannis involutus, qui Cœlum stellis, terram floribus adornasti. Infunde cordi meo ejus amorem, & da patienti animo ejus molestias perferre.

6. O quantum lugere debo pro peccatis meis, piissime Iesu, quandoquidem tu pro eis ploras. Me enim abluit vagientis tuæ infantia fletus, mea delicta tue deplorant lacrymæ.

7. J E S U sapientissimes, qui tacendo dôces, & vagiendo prædicas; doce me in silentio humilitatem tuam sequi, tibique conformem fieri infantili simplicitate & innocentia.

8. Fortunati Pastores, quibus ante omnes lapsus è Cœlo Deus, stabuloque reconditus angelicâ voce nuntiatur.

9. Verè gloria in excelsis Deo: nam cui gloria, nisi tibi Rex gloria? Trahe cor meum in excelsa, ut nunquam degenerem ab excelsis cogitationibus filiorum tuorum.

10. Da mihi, Salvator dulcissime, quam omnibus offers bonam voluntatem, pacemque divinam, ut abjecta mundi inconstantiâ & discordiâ, in beneplacito tuo stabilis perseverem.

### DECAS III.

1. **L**audi te, Redemptor mundi, pro primâ sanguinis tui in terrimâ ætate effusione, cum tua caro immaculata poenam circumcisionis, quam non meruit, sustinuit.

2. O lapsus Adæ, quam es amarus Domino meo! ego peccavi, & tu, Domine, poenam exsolvis, ego in concupiscentia conceptus & natus sum, & tu suscipsis in te ultionem.

3. Sponsus sanguinis tu mihi es, qui cum voce nondum poscis, ipso cruore tuo clamas pro me ad Patrem: mihique tribuis arrham desponsationis sanguinem tuum pretiosum super aurum & topazion.

4. Circumcidere, Domine, omnia membræ & sensus meos spirituali petrâ, quæ tu ipse es, & quidquid in me reperieris carnale, & superfluum, abscede, & extirpa; vitamque meam disciplinæ tuæ rigore coerce.

5. O dul-



5. O dulcissimum nomen Jesu, super omne nomen in celo & in terra benedictum, esto mihi salus & redemptio: non enim est aliud nomen hominibus datum, in quo oporteat nos salvos fieri.

6. Esto mihi, JESU, id quod diceris. Esto mihi turris fortitudinis a facie inimici. Scribe nomen tuum salutiferum in corde meo, ut tibi maneat semper impressum, donec perducatur ad aeternam salutem.

7. Glorifico te Deus, pro primitiis gentium, & earum admirabili illuminatione; cum eas ab oriente in personam trium Magorum ad fidem tuam secreta inspiratione traxisti.

8. Adoro te, Rex Regum, cum sanctis Magis, & pro illorum munibibus offero tibi aurum paupertatis, thus obedientiae, myrram castitatis.

9. Utinam omnes gentes te fide vivâ cognoscerent, & adorarent, & tibi fideliter servirent.

10. Da mihi, Domine, horum virorum fidem & constantiam, ut eadem, quam illi, perseverantia te queram, donec inveniam.

## DECAS IV.

1. Vnde Olusti, Domine, praesentari in templo, & more servorum quinque scilicet redimi: sit benedicta immensa charitas tua: & quia Pater tuus te mihi tradidit quinque scilicet pretio, ego vicissim trado me tibi in servum perpetuum. Fiat per gratiam tuam, ut nec tu me unquam deseras, nec ego te.

2. Benedico te, sanctissime Redemptor, quia, ut nobis verę obedientiae exemplum relinqueres, te legalibus institutis, tanquam unus de populo, subdidisti. Da mihi in omnibus perfectissimam obedientiam.

3. Offero tibi, Domine, par turturum, geminam scilicet compunctionem; primò quidem pro peccatis, & negligentia meis, deinde vero pro aeternā felicitate, ad quam jugiter suspiro.

4. Da mihi, bone JESU, radium aliquem illius lucis, quam Sancto seni Simeoni tribuisti, cum te infantem in ulnas suas suscepit, ut te agnoscam, & amem; sicut ille te novit & amat.

5. Sapientissime Jesu, qui Sanctae Genitrici tuae doloris gladium, quo transfigenda erat, revelari voluisti; transfige animam meam gladio compunctionis, ne me dissolvant vanae mundi consolations.

6. Vix natus eras, Rex amantissime, cum subi-

tō mundus te persequitur, & Rex Herodes statim te querit, ut perdat te: sicut autem te caput bonorum persecuti sunt impii, ita & membra tua. Da mihi igitur hanc veritatem agnoscere, & malorum persecutiones patienter ferre.

7. Tecum fugere, Iesu dulcissime, & omnia quae mundi huius sunt relinquere, grave mihi non erit: nam si tu mecum fueris, quid poterit mihi deesse?

8. Comitare fugientem Deum, anima mea, nec erubefce ad hanc fugam. Gloriosum est & dulce pro Deo abisci & contemni.

9. Adesto mihi, Deus, gratia tua, ut in hujus vitae exilio, voluntati tuae subjectus vivam, semper bonum exemplum illis praebens, cum quibus vixerim.

10. Dulcis Iesu, qui revocatus ab Aegypto, ubi exul diu fuisti, in Nazareth fecisti, & Nazareus vocatus es: da mihi leges Nazariorum spiritualiter observare: abstinere nimis ab omni amore inordinato, & nihil tangere, quod possit maculare animam meam.

## DECAS V.

1. Nihil scimus de te, ô Sapientia incarnata, usque ad annum duodecimum aetatis tuae, & multa scimus. Ipsa enim taciturnitas tua clamat in cordibus nostris; ut silentium tuum & humilitatem admiremur, & imitemur.

2. Sedisti in medio Doctorum, sapientissime puer, interrogans prudenter, & respondens modestè, ita ut omnes mirarentur. Utinam illic adfuisse, & sermones tuos audire licuissent. Repete eos, Domine, in corde meo, ut fructu corum perfruar in aeternum.

3. O quam dolenter quæsivit te amissum mater tua, quam latenter te invenit! Da mihi exemplo tuo in his semper esse, quia Dei sunt, nullam habita ratione cognitionis, & sanguinis: & fac, ut te absentem sollicitè semper queram, donec inveniam.

4. Congratulor tibi, Beatissima Virgo, quod dilectissimum tuum inveneris: ora pro me, ne unquam illum amittam, aut ab eo discedam.

5. Proficiebas, dulcissime puer, sapientiam, etatem, & gratiam apud Deum, & homines: quia majora quotidie edebas virtutis indicia, ego autem proficere opto à remissori vita ad ferventem & perfectam. Datu mihi benedictionem tuam, ut juxta desiderium meum crescambam.

de virtute in virtutem, donec ad gradum supremum perveniam.

6. O humilitas Christi quantum confundis superbiā & vanitatem meam! Tu latuisti, Domine, & tacuisti usque ad trigeminū annum, cum es sapientia aeterna: ego vero stultissimus cum sim, inaniter loqui praesumo, & apparere. Doce me viam solidioris humili-tatis, & tuis semper inhærente vestigiis.

7. Domine Iesu, fons bonitatis & origo virtutum, qui à Baptismo Joannis prædicationem tuam auctoratus es, quid tibi & Baptismo isti, cum sis innocentissimus? Utinam superbia mea hoc tam mirabili humili-tatis exemplo exterminetur.

8. Rex altissime, qui omnem justitiam sic implere voluisti, baptiza me in igne & spiritu, & ablue animam meam ab omni sorde ini-quitatum.

9. Impel me, Domine, Spiritu Sancto, at eo inspirante sequar te in desertum, & secedam ab hominibus, orationi, jejunio, & paenitentiae incumbens.

10. Fortissime athleta, Iesu Christe, qui strenue contrā diabolum dimicasti, & eum gloriōse superasti; da mihi viriliter contrā ipsum decertare; & mitte sanctos Angelos tuos, qui me fideliter custodiant, potenter adjuvent, & benignè consolentur.

## DECAS VI.

1. **C**onsiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quia Redemptionis nostræ mysteria abscondisti à sapientibus, & prudentibus hujus saeculi, & parvulis pescatoribus revelasti, ut mundi sapientiam destrueres. Fac me parvulum in oculis meis, ut magnus fiam in tuis.

2. Dux supreme, qui omnes ad te vocas per viam crucis & abnegationis, gratiam tuam largire mihi, ut crucem meam indefessus portem usque ad mortem.

3. Aliam viam, Domine, tenere nolo, quam tuam: nec aliam, quam tuam veritatem amplecti: nec aliam vitam ducere, praeter eam, quam tu docuisti. Tu es enim via, veritas, & vita.

4. Gratias ago tibi, æterne Pater, quod talem mihi magistrum, legillatorem, & consiliarium dederis, cuius præcepta & monita via tutissima sicutis sunt.

5. Aperi os tuum, Salvator mundi, & loquere ad cor meum, quia audit servus tuus, desiderans id exequi, quod audierit.

6. Illumina me splendoribus tuis, superne Magister, ut perfectionem agnoscam, quam mihi commendas: igne tuo accende, ut eam amem: potentia corroborata, ut eam queram & assequar.

7. Salvator potentissime, qui tot miracula verbo virtutis tuæ patrare dignatus es, innova signa, immuta mirabilia, & animæ meæ lan-gores sanæ, eamque resuscita à morte vitiorum.

8. Inclite Iesu, lux mundi, salus populi, & gloria nostra, respice propitius infirmitatem meam: nemo enim potest spiritualia vulnera curare, nisi tu qui solus es Deus.

9. Circuiti vicos & plateas, dulcissime Iesu, ut peccatores convertes, & penitentibus indulgentiam conferres: fac me hujus charitatis tuæ participem, & miserere mei, quoniam iniquitatem meam cognoscere.

10. Millies te laudo, & benedico, Iesu sanctissime, exemplar omnium virtutum pro vita tua pauperrimâ, humiliâ, purissimâ, patientissima: tribue mihi miserrimo servo tuo mo-rides tuos sedulò meditari, & ad eorum normam omnes actus, sermones, & gestus meos efformare.

## DECAS VII.

1. **Q**uam immensa fuit charitas tua, be-nignissime Redemptor, quia non solam pro salute mea vitam æcumnon ducere, sed eam insuper acerbissima pa-sione & morte claudere voluisti. O quam gra-via sunt peccata mea, quæ tales poscebant satisfactiōnem!

2. Clementissime Pater, per passionem & mortem Unigeniti tui ignosce peccatis famuli tui. Suscipe sacrificium filii tui & obliviscere injuriarum nequissimi servi tui. Multo enim plura ille solvit, quam sit debitum meum.

3. O passio Christi desiderabilis, ô amabi-lis mors, sana vulnera mea, & vivifica me: inflamma pectus meum, ut præ amore liquefac-

4. Non peto mundi divitias, sed tuas angu-stias, Domine Iesu: non carnis delicias, sed tua flagella.

5. Rogo te dulcis Iesu, ne finas unquam me obliuisci mortis & passionis tuæ; sed praesta, ut in ea mihi sit requies & accessus ad Divinitatem.

6. Omnia vulnera tua, Domine, inscribe cordi meo, ut tu solus, tuaque passio in eo le-gantur. Intrâ vulnera tua absconde me.

7. De-

7. Domine Jesu, qui nos sic amasti, ut tibi non parceres; veni, & ne differas vulnerare cor meum, ut solum tua vulnera sentiam, & in iis jugiter maneam, & requiescam.

8. Tui dolores semper occupent pectus meum, ut eorum memor dicam cum sponsa: Falsiculus myrrae dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.

9. Dulcis Jesu, qui tanto fervore & festinatione in Hierusalem ascendisti, ut durissimam mortem pro me patereris, fac me alacrem & ferventem ad omnia, quæcumque volueris pro te sustinenda.

10. Salvator mundi, qui à perduto discipulo venditus fuisti; ne quæso permittas, ut proili pretio rerum terrenarum te summum bonum meum vendam & derelinquam.

## D E C A S VIII.

1. H umillime Jesu, qui servile obseruio lavisti pedes discipulorum tuorum, amplius lava me ab iniuitate mea, & à spiritu superbiae libera me.

2. O dilecte cordis mei, qui imminentे passione tua perpetui amoris tui pignus immensum reliquisti nobis, corpus tuum scilicet in cibum, & sanguinem in potum; præpara me ad hoc convivium, & ornâ animam meam virtutibus tuis.

3. O Rex supreme, qui nutris sanguine tuo populum tuum, ut sumus omnes de regio tuo sanguine genus electum, regale sacerdotium, gens sancta: fac me agnoscere genus meum, & de eo gloriari, & à moribus tuis nunquam degenerem esse.

4. Ut passio tua esset acerbior, amabilissime Jesu, omnem lætitiam à te procul abjecisti, incipiens pavere, contristari, & moestus esse, & ubi dolor meus, in causa tua & mea? Fac me semper memorem tristitiae tuę, ut omnem angustiam quacumque ex causa mihi advenientem pro tui nominis gloria libenter patiar.

5. O lætitia Angelorum, qui in tristitia tua ad orationis remedium configisti, concede mihi misero, ut ablaeter à laete, & avellar ab uberibus humanarum consolationum, meque totum orationi applicem, in qua sanctissimam voluntatem tuam & cognoscam, & exequar.

6. Transeat à te, Domine, ad me calix tuus:

omnis enim amaritudo pro te degustata erit mihi jucundissima.

7. Quis mihi det dolores tuos ita sentire, afflictissime Jesu, ut vel eorum cogitatio sanguineum à me sudorem eliciat? Adjuva me gratia tua, ut voti hujus compos efficiar.

8. Laudo & glorifico te, mitissime Jesu, pro tua ineffabili mansuetudine, quam ostendisti à perfido discipulo osculo traditus, & ab impiis comprehensus, atque ligatus: da mihi hunc spiritum lenitatis, quo erga meipsum feverus sim, & erga proximum mansuetus.

9. Quàm celeriter ire cogeris à tuis hostibus raptatus, dulcissime Jesu, sed multò magis à tua charitate: ne quæso patiaris, ut à te alacriter sequendo desistam, etiam si multi labores, & dolores subeundi sint.

10. Jesu innocentissime, qui per diversa tribunalia crudeliter trahi voluisti, victimâ meorum criminum; dirige gressus meos in viam pacis, & jube me venire ad te; nam et si oportuerit me mori tecum, non te negabo.

## D E C A S IX.

1. O Bone JESU, virtus & fortitudo animæ meæ, qui tot irrfisiones, percusiones, & contumelias admirabili patientiâ tolerâsti, doce me omnia mihi adversaria miti silentio vincere, & tranquillo corde suscipere.

2. Piissime Jesu, qui nequissimo latrone & homicidâ nocentior proclamatus fuisti, fac me vanâ hominum judicia contempnere, & opprobrium tuum semper præ oculis habere, falsisque mundi honoribus præponere.

3. Mitissime Jesu, qui nudus ad columnam alligatus, & durissimè propter scelera mea flagellatus fuisti, concede animæ meæ, ut diuturnis criminum tempestatibus jaçtata in hac columnâ portum inveniat. Liga me ad eam in vinculis Adam, in vinculis charitatis.

4. Rex Christe, corona Sanctorum omnium, qui inaudito supplicio spinis coronatus fuisti, & joculari purpura induitus; fac me omnem contemptum patienter ferre, atque inglorium omnibus apparere, tuasque spinas semper amare.

5. Benignissime amator hominum, qui ab iniquo judice morte turpissima damnatus fuisti, cùm sis speculum innocentiae, & sanctitatis: quanto magis me pati oportebit sinistra hominum judicia, qui in multis tam sœpè deliqui?

6. Pro

6. Proficisci, bone Jesu, ligno crucis onus, sed multò magis amoris pondere pressus, & qui dolor tuo non parcis, parce peccatis meis.

7. Jugum tuum, Domine, suave est, & onus tuum leve, fac ut illud gaudenter portem, abnegans memet ipsum, & crucem meam bajulans polte.

8. Suavissime Jesu, qui tam inhumaniter in cruce extendi voluisti, ut numerari possent omnia ossa tua; praesta ut omnia membra, sensus, & potentias ad te semper erectas tibi amanter uniam, & clavis timoris tui cruci tuae perpetuō affixus maneam.

9. Adte, Domine, clamantem exaudi, & qui dixisti Apostolis tuis, cum exaltatus fueris à terra, omnia traham ad me ipsum; trah me ad te, & excipe animam meam in foraminibus petrae, in cavernis maceræ.

10. Agnosco, gloriofissime Fili Dei, titulum tuum; tu es enim Iesus Nazarenus Rex Iudeorum. Utinam orbis universus hunc titulum legit & admittat, teque omnes confitentur Regem suum & Salvatorem.

## DECAS X.

1. JESU vita morientium, qui, cum jam mortuus essemus pro nobis, latus tuum lancea aperiri voluisti, ut accedentibus ad te facilis pateret aditus ad cor; admite me in latus tuum, ut in eo sit requies mea in saeculum saeculi.

2. O quinque Christi pretiosa vulnera, divina dulcedine plena, saluto & veneror vos: in vobis enim medicina vitae, copia gratiae, plenitudo indulgentiae.

3. In latere tuo latere volo, Iesu mi crucifice, ibi orare, ibi tractare negotia mea: quia ibi quidquid voluero obtinebo.

4. Gratias ago tibi, Salvator mundi, quia opus Redemptionis nostræ perfectissimè peregesti: perfice & in me opus quod incepisti, ut plena in me, & consummata iustitia reperiatur.

5. Quanta duritia cordis mei! concutitur terra, dissipunt saxa, obtenebrantur cœli, moriente Domino: solum cor meum immotum erit, qui tantæ necis causa fui; Scinde illud, Domine, & frange sanguine tuo.

6. Sepeli cor meum tecum, & absconde me intra vulnera tua, dilectissime Iesu, ut extra te nusquam reperiatur.

7. Obsigna cor meum, Domine, & sensus

ac facultates sigillo charitatis tuae, ut sic ob signatus tecum maneam in æternum.

8. O Rex gloriae, Domine virtutum, qui post mortem descendisti ad inferos, & justos è carcere eduxisti, gaudeo de hoc tuo triumpho, & precor, ut omnem tartaram potestatem virtute tua vincere me facias.

9. O Triumphantor gloriofissime, fac me participem passionis tuae, ut sim etiam resurrectionis: tecum moriar, ut tecum resurgam & tecum tandem ascendam in cœlum.

10. Rex sempiterne, qui sedes ad dexteram Patris, trahe me post te, ut illic semper fixum sit cor meum, ubi tu es thesaurus meus, & gloria mea, Deus cordis mei, & pars mea, Deus in æternum.

## CAPUT XVIII.

*Ex qualibet re, qua occurrat, motus analogicos elicere posse. Scale à visibili creaturā ad invisibilē Creatorem.*

1. O Ptimè dictum est à Redemptore nostro (a) filios hujus saeculi prudentiores esse filii lucis in genere suo. Nam quis ex nobis, qui filiorum lucis nomine censemur, tantam adhibet industriam in spiritualibus bonis procurandis, quantum mundani homines in terreno lucro ex omni re solertissimè captando? Langue nimis spiritus, & vigens sensus: & quia cœlestia ab oculis corporalibus remota sunt, mentem humanam vix percellunt: atque ideo plerumque fit, ut in temporaliibus lynces, in æternis talpæ simus. Ne igitur saeculo addicti homines surgant contrâ nos in judicium, quod vivaciores fuerint & diligenteres in perituriis divitiis, quam nos in veris & perpetuis congregandis; varias artes exco gitare debemus, opes quamplurimas spirituales accumulandi, in omni opere ac negotio lucrum spirituale secundo, & ad Deum aspirando, qui omnium actionum nostrarum finis est & principium. Id quâ ratione fieri possit, non meis, sed Sanctorum Patrum verbis indicabo, quod majorem huic doctrinæ conciliem auctoritatem.

2. Divinus Ephrem (b) hoc lucrum in oratione potissimum confidere docet, & ait: Bonum fuerit semper orare, & nunquam desicere, quemad-

(a) *Luc. 16, 8.* (b) *Ephrem, t. 1, hom. de orando Dennis.*